

V

irgine mas gaudet, mare virgo. Quid, optime Sponse,

In causa est? Causam discere forte iuuat.

In promtu causa est. Sed enim Tibi fabula, lusus  
Quæ turbet Veneris, sat scio, nulla placet.

Pauca tamen referam. Tu, *Vir Doctissime*, cuncta  
Fontibus ex ipfis largius hausta petes.

Costam (quis nescit?) Paradiso amisit Adamus,  
Dum dulci stertens membra quiete leuat.

Hanc Deus exemptam latere abstulit: inde puellam  
Condidit, ut socio viueret apta viro.

Apta viro, quia costa viri, quæ fædere certo  
In proprium veniat restituenda locum.

Ergo, quod amisit, vir quærerit; femina gaudet  
Amisæ costæ participare vices.

Vera loquor, neque Tu verissima, *Sponsæ*, negabis.  
Exemplo constant hæc mea verba Tuo.

Annon, Oppachium quoties iter ante parabas,  
Cura Tibi costam quærere sola fuit?

Vixque salutaras fidum veteremque fodalem,

Ingemis: „heu surdo membra dolore stupent!

Me quamuis pleno perfundat Copia cornu,  
Inque suo portu nauiget vñcta ratis;

